

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE REMITTENTE

INDIÆ OCCIDENTALIS.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE REMITTENTE
INDIÆ OCCIDENTALIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES LINDESAY,

SCOTUS.

“ *Lucus edax, maciesque, malis comes addita morbis,*
“ *Et mæror pastus fletu.*

SIL. ITAL.

viii. Calendas Julii, horâ locoq[ue] solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCI[.]

1805.

PATRI

ROBERTO LINDESAY,

M. D.

HANC DISPUTATIONEM,

PIETATE

MOTUS

D. D. D. QUE

JOANNES LINDESAY.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE REMITTENTE

INDIÆ OCCIDENTALIS.

PROOEMIUM.

§ 1. **F**EBRES INDIÆ OCCIDENTALIS, pariter atque eæ BRITANNIÆ, dividantur in *CONTINUAS*, *REMITTENTES*, et *INTERMITTENTES*. *FEBRIS FLAVA*, de qua nupèr tot volumina scripta sunt, quippe cùm parùm accuratè definiatur, et medici hùc illùc trahant interpretationem, nomen ambiguum est, quod

in

2 DE FEBRE REMITTENTE

in incertum et errorem ducat; et igitur in medicorum scriptis debet omitti, ut obsolescat. Nomen parùm aptum est, quod *CONTINUAM FEBREM* designet; quippe hâc affecti minùs flavent, quàm qui laborant *REMITTENTE*. Neque verò idoneum est nomen, quo appelletur *GRAVIOR REMITTENS*, ut distinguatur à levioribus remittentis formis: eòque minùs, quòd quò gravior febris, minimè semper èò flavius corpus; aut quò minùs flavet corpus, èò levior febris.

II. Mihi consilium est de *FEBRE REMITTENTE INDIÆ OCCIDENTALIS* pauca scribere; non quia de ea jam scriptis aliquid novi adjicere me posse confido; sed quia, omnibus formis hujus morbi visis, possum, ni mens me fallat, aliquâ saltem ex parte judicare, quanta ponenda sit fides observatis aliorum.

III. *REMITTENTIS* nomine mihi in animo est cùm *GRAVIORES* morbi *FORMAS*, tum *LEVIORES*, comprehendere: tam eas nempè, quarum remissiones

missiones vix distingui possunt ; quām eas, qua-
rum remissiones evidentes sunt, et observabiles.
Inducor ut hoc faciam, quōd, quantum scio,
omnes auctores uno ore consentiunt, diversas
formas eādem causā oriri ; iisdem locis, et
anni temporibus vigescere ; sic, aliam in a-
liam, inclinare, ut quo fine interstinguantur,
discernere nemo possit ; et ejusdem utique
morbi formas esse, quas efficiant ægrorum cor-
porum proprietates. Vel gravissima forma, ut
observavi, semper plūs minūs eō inclinat, ut
evidentes capiat remissiones, et in leviorem
beat. Hinc ei accidunt procedenti subitæ
mutationes, et augminæ *.

iv. Hæc præfatus, signa hujus febris, ut à
meipso visa sunt, quām verissimè potero ex-
ponam.

C A P.

* Vid. Not. A.

C A P. I.

De Historia.

v. Incipiente febre, quam persequimur, totum corpus lassitudinem et debilitatem sentit; et membra plus minus inhorrescunt. Calor dein percurrit corpus: facies sanguinaturget, et praeter solitum rubet: caput, at super oculos maximè, graviter dolet: dolores etiam sentiuntur in aliis partibus, praesertim lumbis et cruribus. Eodem tempore æger siti et nauseâ premitur, neque raro biliosam materiam vomit. Molestia simul et gravitas præcordiorum sunt, ac quietis impatientia. Arteriarum pulsus citi et duri sunt, et sicca præter consuetudinem cutis.

vi. Hæc sunt mala, quibus ægrum afficit incipiens morbus. Increscente verò mørbo, vomi-

miçus

mitus frequentius urget; et, secundo die tertiove, æger incipit de dolore in regione stomachi conqueri. Simul importunâ siti affligitur; et potulenta, quæ sedent, subindè assumit, quæ pariter omnia protinus rejicit. Multùm conflictatur: nocte vigilat, et optatus somnus, nullis precibus motus, fessos vigiliâ oculos fugit.

vii. Ubì èò perventum est, summa cutis frigescit: arteriarumque motus tardiores fiunt. Sed aliquid soporis supervenit: et animus, sicut navis sine rectore, incipit labare, ac mens vanis deluditur imaginibus. Quicquid ore rejicitur, habet quædam secum mista, at discreta tamen, quæ fuscas stricturas repræsentant. Rejecta demùm materia, saturore colore imbuta, specie similis est *coffææ* fæcibus, quibus ideo eam plerumquè comparant medici.

viii. Haud longo pòst tempore arteriæ adeò languescunt, ut imbecilli earum motus

vix distingui possint. Oculi, nitore amisso, hebescunt. Cutis lento frigescit sudore. Æger, sopore obrutus, non, nisi nigræ identidem eluviei vomitu, agitatur, aut gravi et insedabili singultu. Spiritus demùm fit difficilimus: extremæ partes membrorum inalgescunt: tremiscunt, magis quàm micant, arteriæ; dein, pòst paulò, morte conquiescunt.

ix. Hujus febris cursu, cutis plerumquè plùs minùs, imò interdum saturatè, flavet. Initio lingua ferè subalbida est, et humida; interdum sicca. Increscente autem morbo, fuscâ sorde crustatur. Urina parca est, et rubra. Alvus facilis, vel saltem nec dura nec astricta. Vultus lugubris est, et muto aspectu verbis significantiùs exprimit, quibus angoribus æger prematur. Miserandus haud rarò mortalis assidentibus perindè videtur, ac si eorum vultum emissitiis oculis perscrutaretur; dum intereà nihil amplius, quàm sui animi anxietatem et metum celare, conatur.

x. Hæc nonnunquàm febris magno impetu invadit; et primo quasi incursu vires adeò frangit, ut, renixu nullo, paulatim exsuperentur. Aliàs, relictis viribus repugnantibus, acerimum naturæ et morbi certamen oritur; quo gliscente, æger, nervorum distentionibus interceptus, subitò occiditur.

xi. Paulatim plerumquè accedit sopor. At non raro tamen, tempore haud longo post febris initium, æger subito sopore obruitur, ex quo exsuscitari non potest. Intereà assidentes, similitudine decepti, existimant optati somni amplexibus sopiri. Nonnunquàm ante mortem, sumimum hìc illìc corpus maculis et petechiis variatur: neque raro, præcipue ex naribus anove, erumpit sanguis.

xii. Proclivitas in soporem; immodica bilis copia; stomachus ingestorum impatiens; gravis vomitus, quo transmissus suprà humor pondere omnia assumpta potulenta excedit; et morbida, quæ, incisis cadaveribus, oculis obveniunt;

obveniunt; comprobant, sanguinem in cerebrum, jecur, et stomachum, justo uberiùs distribui.

xiii. Tali plerumquè cursu, qualem descripsimus, hæc febris ad mortem procedit. Sed minimè semper tot tantisque malis ægrum afficit. Aliquandò, quamvis remissiones non possint observari, mala tamen, quæ affert, leviora sunt; neque tantâ vi in partes incidit internas. Aliàs, ubì magna vis febris urget, remissiones tamen evidentes sunt, et distinctæ. Ne multis, induit omnes formæ varietates, ab ea, quâ accessionum continuatione, ne dicam confusione, continuam febrem refert, ad eam, quâ accessionibus, vicissimque certo circuitu integritatibus, simulat intermittentem.

xiv. Infinitum opus esset, et à nostri propositi ratione alienum, aggredi omnes formæ varietates singulatim describere. Animi porrò incertus sum, an tam operosa congeneres morbi

morbi varietates discerpendi subtilitas non
rem obscuret magis, quam illustret.

C A P. II.

De Crisi.

xv. Sæpè nullæ notæ evidentes sunt, undè medicus possit discernere, utrùm morbo cessebit natura, an naturæ morbus.

xvi. Nonnunquam naturam evasisse superiorem, indicat sudor copiosus, liber, corpore æqualiter toto ortus; aliás profusio sanguinis è naribus; aliquandò alvi profluvium.

xvii. Morbum verò naturâ potentiores fuisse, vel in eo esse, ut victoriam ferat, ostendit, ut notârunt medici, cutis brevi tempore suffusa bile, et saturata flavo colore. Plerumquè

B

ità

itâ esse, haud nego. Verùm compluriès tamen observavi cùtem subitò sic suffusam, et simul tamen, vel haud multò pòst, morbum ad salutem inclinare.

C A P. III.

De Diagnosi.

xviii. Remittentium febrium gravissima vix à continua febre INDIÆ OCCIDENTALIS dignosci potest. Complures quidem notæ memoratæ ab auctoribus sunt, quibus, ut putabant, distinguerentur. Sed, quantum scio, nullæ sunt, quibus tutò credere possimus*.

xix. Fortassè præter causam, quam verò non semper datur cognoscere, nihil est, quod has

* Vid. *Not. B.*

has febres certò distinguat. Sparsas autem utriusque generis febres, quippe quarum causas investigare difficillimum sit, rarissimè possumus internoscere.

xx. Non æquè autem difficile est distinguere grassantes. Ubì enim grassatur continua febris, plerumquè penes medicum erit pestilensem investigare tabem, quâ orta est, et orta propagatur. Quum autem intermittens vulgaris morbus est, medicus non modò non poterit indagare tābum pestilens, ad quod eam referat; verùm nonnullos quoque, inter multos ægros, inveniet, quorum febres habent evidentes remissiones: quibus cognitis, haud dubitabit, quin vel cæterorum febres, quamvis nihil quicquam remittant, ejusdem tamen generis sint, et eâdem causâ oriuntur *.

C A P.

* Vid. Not. C.

C A P. IV.

De Causis.

xxi. Omnes, quantum scio, concedunt auctores, remittentes febres INDIÆ OCCIDENTALIS oriri ex paludum palustriumque locorum exhalationibus. Iis enim potissimum orbis terrarum partibus, et anni temporibus, vigent, quibus hujusmodi nocivæ auræ abundantes aëra vitiant, atque increbrescunt febres intermittentes.

xxii. Veruntamen sunt res quædam aliæ, quæ, cum paludum halitu, ad remittentes febres excitandas conspirant. Hujusmodi sunt, tempestas diù sicca, calida, et tranquilla ; atque pluviae talem tempestatem insequentes. Tranquillum cœlum fortassè permittit, ut paludum

paludum anhelitus cumuletur, et collecta sic ejus vis vehementius noceat hominum corporibus.

xxiii. Qui ex EUROPA, aliisve temperatis orbis terrarum partibus, in INDIAM OCCIDENTALEM pervenerunt, ii, præ indigenis, apti sunt, qui ex paludum respirationibus detrimentum capiant. Illi enimvero, modò paludum vaporibus aliquandiù sese committant, raro non febre afficiuntur.

xxiv. Quinetiam juniores, ut observârunt medici, huic morbo opportuniores sunt, quam natu majores; et mares, quam fœminæ.

xxv. Adde causis quoque, quæ homines aptos reddunt, qui ex paludum expirationibus remittentem febrem nanciscantur, omnia, quæ eorum corpora multùm debilitant. Hujusmodi autem sunt, animus contractus et demissus; fatigatio; pervigiliones nocturnæ; sanguinis sive naturales, sive fortuitæ profusiones;

siones; vini intemperantia, præsertim in compositionibus; rerum venearum, post concœnationes, immoderatio; et si qua assimilia-

xxvi. Docuit quoque experientia, quæ in arte dominatur medicinali, qui humi noctu quiescant, et somnum capiant paludum exhalationibus expositi, eos ad febrem remittentem proniores esse, quam qui his tantum interdiu sese committant.

xxvii. Dictum est, inter eos qui remittente febre laborant, pestilentem nonnunquam tabem gigni; quæ dein contactu ægrorum, ministeriis in vicem, et ipsâ curatione, morbum inter alios vulget. Bis, ut mihi videor, novi pestiferam tabem nasci inter eos hâc febre correptos, qui durâ rerum necessitate conferti essent in arcta loca; quæ neque salubres auræ potuerint perflare, neque sanorum operæ expurgare ægrorum sordibus. Sed nunquam novi hanc febrem tabe inter ægros genitâ converti in pestilentem, in locis, quæ per-

flatum

flatum haberent, et quorum purificationibus
idoneâ qûrâ satis provideretur.

C A P. V.

De Prognosi.

xxviii. Tam subitæ, et inexpectatæ quidem mutationes, hujus febris cursu accidunt, ut de futuro ejus eventu certò præsagire difficillimum sit. Paucas tamen notas, quæ vel periculum, vel spem ostendant, explicare conabor.

xxix. Paulò post morbi initium, debilitas magna plus periculi indicat, quâm vehemens cordis et arteriarum renixus. Malum quoque est, ubì ullo morbi tempore vires admodum fatiscunt, et animus contrahitur et demittitur. Eò plus periculi minitatur morbus, quò gravior est, et quò magis vitalia impetit.

xxx. Morbo

xxx. Morbo provectione, malum signum est, si longam vigiliam insequuntur torpor et gravis sopor; et si oculi, nitore amissio, hebescunt. Mortem denunciant niger vomitus, et alvus nigra.

xxxI. Contra ea, spe consolantur omnium initio malorum mediocritas; internarum partium integritas; et morbus eò, ut vim remittat, inclinans. Ægrum quoque non afflicare sese, aut casum suum miserari, sed salutem sperare, inter bona indicia est. Porrecto morbo, bonum est, ubì nulladum urgent signorum, quæ metu terrere solent. Quò longius morbus processit, sine infaustorum signorum accessu, eò plerumquè, credo, minus periculi ægro minitatur. Spe salutis animum erigunt naturalis noctu somnus, et diurna ciborum cupiditas. Rarò, quantum me docuit experientia, quisquam moritur, cuius in labiis, porrecto morbo, pustulæ erumpunt.

C A P. VI.

De medendi ratione.

xxxii. In hac parte rei propositæ, mihi in animo est primùm efficere idoneis medicamentis et remediis, ut febris vim suam remittat; deinde exponere, quibus graviora mala leveneruntur.

xxxiii. *PRIMO CONSILIO*, multa medicamenta et remedia experti sunt medici. Ex iis præcipua singulatim exponere aggrediar.

xxxiv. *PURGATIO*. — Stomachus et alvus quamprimum evacuanda sunt. Effici enim non potest, ut remittat suam vim febris, dum acris materia has partes irritat. Optima medicamenta, quibus exinaniantur, sunt, meâ opinione, cathartica. Ubì levis quidem mor-

bus est, assumantur vomitoria, quæ stomachum sordibus vacuefaciant. Veruntamen, quum magnum periculum sit, ne vomitio faciat, ut in id receptaculum plus justo sanguinis inducatur, et sic irritabilius reddat quam ut ingesta ferat et contineat, id sanè quod in hâc febre nunquam non extimescendum est; nobis tutius videtur omnino vomitoriis abstinere, et dare cathartica, quæ consequantur, ut cum hoc tum alvus res omnes offendentes infrà transmittant.

xxxv. Alias alia cathartica ægris ministrantur, ut ventriculum et alvum purgent. *Muriati* tamen *hydrargyri dulci*, meâ opione, primæ concedendæ sunt. Quò autem melius respondeat, utile erit ei admiscere vel *jalapam*, vel *compositum extractum colocynthidis*. Äquales partes *muriatis* et *extracti* in pilulas conformentur, quarum singulæ pondere grana decem æquent; et ex his una, singulis duabus tribusve horis ab ægro assumatur, donec alvus descenderit.

xxxvi. Ut

xxxvi. Ut cathartica certius et citius alvum moveant, multum proderit in hanc, ex inferiore parte, infundere lotiones, quæ subducant. Has oportet modò acriores esse, modò mitiores, prout res postulare videantur.

xxxvii. Cathartica et lotiones sèpè consequuntur, ut stomachus et alvus, magnâ copiâ acris bilis et fœtidissimi stercoris dejectâ, sese prorsùs depleant. Horum exinanitione æger multum accipit levaminis, neque raro etiam remittit febris.

xxxviii. Quum hic morbus nonnunquam naturali alvi profluvio solvatur, nonnulli medicorum experti sunt, numne, naturam imitati, possent solâ purgatione eum curare. Ego ipse periclitatus sum, an purgatio, aliis auxiliis nullis, ad sanandum valeret. Hunc in finem, præcepi, ut æger cathartici, mixti ex sulphate sodæ, supertartrite potassæ, atque mannat, tantulum, singulis duabus tribusve horis, assumeret, quantulum lenem alvi fluxum

um foveret. Quoties purgationi curationem credidi, etiamsi febris nullum insigne, quod observavi, decrementum passa sit; tamen, vi paulatim remittente, tribus quatuorve diebus adeò in melius mutata est, ut æger posset commodè incipere *cinchonæ* corticem assumere, deinceps optatò revaluerit.

XXXIX. Oportet autem meminisse, febres, quas solâ purgatione curavi, neutiquam naturâ gravissimas esse. Hæ enimvero tantâ vi sunt, tamque periculosæ, ut nollem solis catharticis earum curationem credere.

XL. *SANGUINIS DETRACTIO.*—Ex mortalibus, remittente febre INDIÆ OCCIDENTALIS laborantibus, detrahendus necne sanguis sit, in contrarias partes disputatur. Et, utì solet in iis rebus controversis, de quibus sunt duæ, sed inter se contrariæ, sententiæ, ipsa testimonia auctorum de sanguinis missionis effectibus, ut alteri altera placet opinio, contraria sunt.

XLI. In febre, quæ ejusmodi naturâ est, ut vitales eâ correptorum vires tam sæpè subitò concidant, sanguis haudquaquàm temerè et inconsideratè mittendus est. At minimè tamen iis accedo, qui negant, hoc unquàm esse utile remedium. Non solùm enim notæ, quæ ostendunt, sanguinem justo abundantius in partes nobiliores distribui; sed etiam plenitudo vasorum, aut inflammationis vestigia, quæ in his, post mortem, aliquandò conspiciuntur; videntur monstrare, hanc febrem interdum requirere, ut sanguis opportunè eliciatur. Præterea, febris rationem nonnunquàm postulare, ut emittatur sanguis, docent usus et experientia. Quippe ignorat nemo, medicos, peritos et fidos, sanguinem ex hâc febre implicitis demendum prosperè curâsse.

XLII. Si æger juvenis est, et plenus; si est, quòd medicus putet, sanguinem justo copiosius in caput urgeri; si æger conqueritur de sensu insolito plenitudinis in hepate, atque spirandi difficultate, quæ sanè mala, me jūdice,

dice, ex hepate sanguinis abundantia turgido haud raro nascuntur: non solum tutum erit, initio morbi, sed etiam utile, sanguinem mittere.

XLIII. Observatu hic loci dignum est, aliis temporibus, itemque grassantibus remittentiis aliis, quam aliis, aegros sanguinis detractionem et saepius requirere, et melius pati. Cum ita sit, utile est, medicum scire, qualis sit coeli et morbi habitus, ut certius judicet, numero tutum et necessarium sit sanguinem mittere.

XLIV. Sanguis nunquam, mea opinione, nisi febris initio, mitti debet. Dictum quidem est a medico quodam, etiam postquam, porrecta jam febre, arteriae submittant se et concidant, et materiam fuscis stricturis distinctam vomat stomachus, sanguinem tamen elicendum esse, ut, ipsius linguâ, cordis atque arteriarum, cæterorumque vasorum motus expediantur.

XLV. Nunquam

xlv. Nunquam vidi sanguinem, tali tempore et consilio, missum; nequedum, quatenus scio, usus aliorum comprobavit, esse tutum et efficax auxilium, cui prudens medicus credat labentis jam vitæ conservationem.

xlvi. *TEPIDARIUM*,—ut sæpè observavi, hâc febre laborantibus multùm proficit. Quum enim non solùm cutem expurget et emundet, ejusque vasa relaxet, sed et per eam evocet halitum; non potest, quin iis prosit, quibus sanguis à summo corpore in recondita loca repellatur.

xlvii. Quum ità sit, post missum sanguinem, dummodò mittere opus visum fuerit, æger debet descendere in balneum, in hoc que, nisi eò, ut animâ deficiat, inclinat, aliquandiù manere. Haud rardò humoris tempor copiosum sudorem movet, quem, postquam in lectum se contulerit æger, utile erit potulenta dilutioribus aliquantispèr elicere, et idoneis medicamentis. Talis enimvero curatio
haud

haud raro consequitur, ut remittat febris. Balneum, etiamsi cutis halitum non evocet, permultum tamen prodest, quippe cum refrigeret corpus, et somnum adducat.

XLVIII. *FRIGIDA de AFFUSIONE*,—nihil ferè periculo compertum habeo, quod dicam. Quantum verò ab auctoribus, qui experti sunt, accepi, haud dubito, quin, si consideratè adhibetur, hâc febre laborantibus plurimum proposit. In SANCTA DOMINGA, uti ferunt medici, ad febrem, quam persequor, curandam haud parum pollebat, et per se, et alternis vicibus cum tepidario, adhibita. Verum ibi tamen, ut nonnulli confitebantur ejus laudatores, adeò non semper ad spem respondebat, ut sæpè prorsus falleret.

XLIX. Proficeret, necne, hâc febre ægris aquam frigidam affundere, compluriès expertus sum. Sed, quum affusio plerumquè spem frustraretur non meam modò, verum, quantum audiveram, eam quoque aliorum, neque
tunc

tunc temporis invaleret ejus usus; non diutius ægris præcipere, ut incertum experientur remedium, perseveravi.

L. Nunc autem inducor, ut credam affusionem spem tunc idcirco fefellisse, quod non eâ adhiberetur ratione, quæ efficacem reddebat. Nam, cognitis periculis, quæ exinde facta sunt, ratione quâ ostendit CURREIUS LIVERPOLIENSIS, non possum, quin opiner utilissimum iis in INDIA OCCIDENTALI remedium esse, qui febribus laborent.

LI. Eodem tamen tempore inclinat animus, ut credam, quantumcunquè profuisse videatur affusio frigida, requiri tamen, ut eam multoties antè experiantur medici, quam remediis annumerent, quæ profecisse usus docuerit. Nondum, quantum scio, experti sunt medici, numne, quâ proponat CURREIUS ratione adhibita, gravissimâ remittente febre ægrotis prodesset: et adeò periculosa, ut vidi, et lethalis quidem hæc febris est, ut nullo

multūm fidam remedio, dōnicūm ejus efficaciam multus multorum usus comprobaverit.

LII. Minūs, quantūm potui cognoscere, quām tepidarium, iis febrentibus convenit, quorum interna organa sanguine præter modum abundant. Verūm haud scio tamen, an febris initio consideratē adhibita non impedit, quō minūs viscera postmodūm sanguine nimis abundarent.

LIII. Affundere aquam frigidam corporibus eorum, qui in BRITANNIA febre ægrotent, plurimūm prodesse, jam usus satīs comprobavit. Dummodò, in INDIA OCCIDENTALI gravi remittente affectis æquè proficere, compariantur medici ; delectabit eos tam potens contra periculosum morbum invenisse remedium, et sic posse patriæ servare colonos, qui eam opibus et viribus augeant.

LIV. *SUDOREM MOVENTIBUS* quoque, contra remittentem INDIAE OCCIDENTALIS febrem,
pugnare

pugnare haud insolitum est. Hujus generis medicamentorum cæteris anteferenda sunt, meâ saltem opinione, præparata ex stibio; dummodò stomachus non irritabilius sit, quàm qui impunè accipiat. Ex his autem præparatis id, ut expertus sum, cui primæ concedendæ sunt, est *oxydum stibii cum phosphate calcis*.

lv. Hoc (liv.) medicamentum certius agit, quàm *stibii tartris*, et ventriculum minus irritat. Utì haud insolitum est, ità in primis utile, cum illo medicamento pauxillum *muriatis hydrargyri dulcis* assumere. Superquàm enim quòd hic *murias* facit, ut illud *oxydum* stomacho melius sedeat, alvum solvit, quo sanè, morbi initio, nihil utilius. Quintam fieri potest, ut *murias hydrargyri dulcis*, tantulis dosibus assumptus quantulæ soleant duritias emollire, impeditat, ne viscera, at hepar potissimè, sanguine supra modum turgescant; et sic iis utilissimum sit medicamentum, qui in calidis cœlis febre implicentur.

vi. Ubì

LVI. Ubì stomachus ad irritandum facilis est, utile erit, unà cum medicamentis ex stibio præparatis, opium adhibere. Plus *oxydi stibii cum phosphate calcis*, minusve, assumendum est, prout assumpti plùs minùs patiens stomachus sit. Majuscula dosis, si ferre possit stomachus, plùs proderit, quàm minusculæ doses intervallis subindè repetitæ.

LVII. Medicamenta ex stibio præparata, modò unà cum iis æger balneo utatur, stomachum minùs irritabunt; propterea quòd hoc, quippe cùm relaxet exhalantes arteriarum surculos, faciet, ut, illis assumptis, arteriæ sanguinem in summum corpus copiosius distribuant. Quum ità sit, hujusmodi medicamenta aut mox antè assumere debet æger, quàm descendat in balneum; aut mox pòst, quàm ex eo ascenderit: et, quò ad spem certius respondeant, humores simul mites et diluentes bibere debet.

LVIII. Ubì stomachus irritabilius est, quàm ut

ut medicamenta ex stibio præparata ferre possit, æger alia medicamenta, quæ cutis exhalationem moveant, debet adhibere; *effervescentem* scilicet *citratem potassæ*, eundemve aquâ jam dilutum.

LIX. Hæc (LVIII.) medicamenta stomacho quidem idonea sunt, sed raro, quantum expertus sum, pollent ad eliciendam cutis exhalationem. *Nitras potassæ* et *camphora* plûs posse videntur. Sed, quum *oxydum stibii cum phosphate calcis* cæteris præpollet medicamentis, quibus eliciantur cutis halitus et sudor, debet, quoties nihil obstat quod minùs assumatur, his anteferri.

LX. *OPIUM*, utpote efficacissimum medicamentum, quo concilietur somnus, iis annumerandum est medicamentis, quibus eò inclinetur febris, ut de vi sua remittat. Hoc tamen medicamentum, quippe cùm, ubi non prodest, plerumquè multùm noceat, cautè et consideratè adhibendum est. Initio febris,
præsertim

præsertim gravioris, vix tutum est. Simul autem ut vis febris remisit, somnum adducit; quo, ut nihil ægro magis optandum est, sic nihil magis prodest.

LXI. Nonnunquam, ut stomacho melius sedeant ea medicamenta cutis halitum elicienia, quæ ex stibio præparantur, unà cum iis opium assumitur. Quo longius cursu processit febris, et quo magis eò inclinat ut intermitat, eo plerumquè tutius erit opium assumere.

LXII. *CINCHONÆ CORTEX*; simul ut medicamentis et remediis, quæ diximus, febris de sua remiserit, sine mora assumi debet. Dicatum quidem à nonnullis est, hoc medicamentum graviore remittente ægro parùm proficere. Hi verò, meâ saltem sententiâ, cortici ipsi objiciunt, quæ magis intempestivo ejus usui objicere debent.

LXIII. *Cinchonæ*

LXIII. *Cinchonæ* quidem corticem initio, simul ut stomachus et alvus perpurgata fuerint, antè assumendum curare, quam salutaritè remiserit febris, adeò non prodest, ut plurimùm noceat. Sed, postquam cursu febris evidentè remisit, sum, confiteor, qui prorsùs existimem, *cinchonæ* corticem unâ aliâve formâ nunquam non assumendum.

LXIV. Sæpè autem initio stomachus corticis pulverem ferre non potest. Quoties hoc accidit, præparata quædam ex cortice, quorum patientior stomachus sit, ingeri debent. Huic nonnunquam convenit aqua decocta ex cortice, vel, quod sanè perelegans medicamentum est, aqua frigida in qua tritus cortex et *magnesia* macerata sunt. Quò hujusmodi aqua frigida stomacho aptior sit, utile erit ei admiscere pauxillum aut aquæ frigidæ, in qua perfusi chamæmeli flores sint serpentiavæ, aut *spiritus lavendulæ* compositi. Siquandò, ut interdum, stomachus, præ irritabilitate, præparata ex cortice pariter omnia respuit,

respuīt, haud inutile est, aquam ex eo in al-
vum subtèr immittere.

LXV. Quâcunque formâ corticem assumat
æger, debet in ejus usu perseverare, per totum
spatium, quod implet remissio. Hoc non-
nunquàm medicamentum febris redditum ar-
cet; et homo revalescit; pristinasque paulatim
vires redipiscitur. Aliàs redit febris accessio,
sed quantula non requirat, ut æger corticis
usum intermittat.

LXVI. At aliquandò tamen, post corticis
usum, accedit accessio; quanta postulet, ut æ-
ger à cortice assumendo paulispèr desistat, et
intereà, dum motus febris urgent, assumat
præparata ex stibio, aliave medicamenta, quæ
cutis exhalationem evocent. Remittente de-
nuò febre, redintegrardus est corticis usus.

LXVII. Sic nonnunquàm febris aliquandiù
recedit et revertitur. Cortex autem, etiamsi
ejus reveriones et motus arcere non possit,
impetum

impetum tamen reprimit, et, singulis accessiōnibus aliquanto de vi deducto, plerumquè ipsam tandem fugat.

LXVIII. Ubì febris, quām agitamus, in longinquitatem haud modicam porrecta est, non adeò necessarium erit, ut febris priùs permultū remittat, quām ægro permittatur, ut corticem assumat. Ei concedendum erit, ut hunc adhibeat, simul ut febris ad remissionem quantulumcunque inclinaverit, vel etiam ante inclinationem, dummodò vires jamjam fiscant.

LXIX. Ubì cortex ægrorum stomachis alienus est, aqua, in qua macerata est aut *quassia*, aut *cortex angusturæ*, hicve cum radice serpentariæ, multū, ut compertus sum, proficit. Quanquam autem ex his medicamentis ægri utilitatem percipiunt, tamen, simul ut eorum stomachi ferre possunt, debent *cinchonæ corticem* resumere.

LXX. Sed, ah miserum ægrum ! sæpè accidit, ut antedictis medicamentis et remediis febris de suâ vi nihil prorsùs remittat. Dum haud levata urget, vitæ vires concidunt. Renixu cordis et arteriarum languescente, frigescit cutis. Stomachus autem etiamnum irritabilis manet ; et eò inclinat, ut nigram materiam, mortis prænunciam, suprà transmitat.

LXXI. Simul ut morbus eò pervenit gravitatis, efficacissima *STIMULANTIA* et *ASTRINGENTIA* requiruntur, ut sustineantur ægroti vires, et ne stomachi inflammationi gangræna superveniat.

LXXII. Hunc in finem, *cinchonæ cortex*, quippe quem stomachus plerumquè revomat, magnâ copiâ in alvum ex inferiore parte immittendus est. In hanc itidem injicienda sunt *acida mineralia*. Eodem verò tempore medicamenta, ex iis quæ vehementissimè stimulant, et stomacho idonea sunt, æger in-

gerere

gerere debet. Hujusmodi sæpè sunt vinum, *alcohol Gallicum*, et *capsicum*. Opium item prodest, et pilulæ ex *capsico* recente præparatæ.

LXXIII. Sed medicamentum, quod efficacissimum, quo concidentibus viribus subveniatur, compertus sum, est *æther sulphuricus*; quippe cùm non solùm stimulet, et stomacho conveniat, sed etiam spasmum, si quis, solvat. Quìm autem, utì citò agit, ità brevi agere cessen, opus est, ut, brevibus temporibus interpositis, identidem assumatur. In ejus usu, modò stomacho conveniat, æger perseverare debet, dum expectatam ex eo utilitatem percepit. Dein, vel unà cum eo assumat, vel seorsùm, ea stimulantia, quæ, quippe cùm perseverantiùs agant, diuturnius auxilium pollicentur.

LXXIV. *Ætheris cochleare minimum*, unaquâque ferè horâ, aut sæpiùs, adhibetur. Sic adhibitum multùm prodesse compertus sum,
dum

dum simul in alvum subtèr indebantur *cinchonæ cortex*, et *acidum muriaticum*.

LXXV. Stimulantibus, ex quibus utilitatem accipiunt febrientes in INDIA OCCIDENTALI, quorum vires jam concidere inceperunt, annumeranda sunt exulceratoria. Aliis corporis partibus atque aliis applicentur, prout res postulare videantur.

LXXVI. *CONSLIUM SECUNDUM.* Nunc tempus admonet animum advertere ad graviora mala, quæ, in INDIA OCCIDENTALI, febris, quam persequimur, afferat; et ad medicamenta et remedia, quibus levari possint.

LXXVII. *STOMACHI INFLAMMATIO* et *GANGRÆNA.* In hoc morbo stomachus aptus fit, qui sanguine supra modum abundet, quiue sanguinis abundantia non solùm irritabilior fiat, quàm ut ingesta possit ferre, sed etiam inflammatione afficiatur et gangrænâ.

LXXVIII. Ne

LXXVIII. Ne tanta mala superveniant, alia alii remedia experti sunt medici. Ex his verò nulla plùs profuerunt, quàm exulceratorium stomacho superimpositum. Quo citius admoveatur exulceratorium, eo plùs prodest. Fortassè utilissimum esset emplastrum antè inducere, quàm stomachus ultra modum irritabilis evaserit, et sic, ne omnino nimis irritabilis fiat, præcavere. Dubitari non potest, quin exulceratio sæpè multùm profuerit; et, quum non obstet, ne ad alia simul decurratur efficacia, fortassè nunquam non experienda est.

LXXIX. Ubì extimescenda stomachi irritabilitas advenit, varia, quibus hebetetur, medici experti sunt; velut *citratem potassæ aquâ menthæ piperitidis solutum*, *sulphatem zinci*, *sulphatem aluminae*, et opium.—*Citras potassæ*, quippe cuius vires evanidæ sint, rarò, quantum compertus sum, ad spem respondet. *Sulphas zinci* nonnunquam prodest, itidemque *sulphas aluminae*. Opium, quamvis ineunti morbo

morbo parùm conveniat, provectioni tamen idoneum est et utile.

LXXX. Morbo provectione, *æther sulphuricus*, superquam quod totum corpus stimulet, est, ut mihi videtur, optimum medicamentum, quo stomachi irritabilitas sedetur; præsertim, si, unà cum eo, opium assumatur.

LXXXI. *SINGULTUS*, ubi, ut interdum, ægrum multum concutit, vexat, et vires frangit, quamprimum sopiendus est. Hunc in finem, in ventriculum *æther* et opium ingredenda sunt, et in alvum subtèr immittenda *assa fætida*.

LXXXII. *SOPOR* ne superveniat, caput, prius ad cutem tonsum, frigidâ identidem aquâ fore utilissimum erit, aut aceto frigidâ aquâ diluto. Ubi autem jam supervenit, optimum factū est sincipi, temporibus, summæve cervici, exulceratorium inducere.

LXXXIII. *HEPATIS*

LXXXIII. *HEPATIS PLENITUDO* ne sub initium morbi accidat, oportebit sanguinem mitti, dummodò nihil sit, quod à mittendo medicum deterreat. Quòd si, procedente morbo, jecur sanguine nimis abundat, oportebit communia tegumenta ei superposita exulcerare. Ex quo tempore apparet, quod jecur sanguine redundare ostendat, hydrargyrus adhiberi debet.

LXXXIV. Hic loci, quoniam res admonet, haud alienum erit, de hydrargyri usu in remittente INDIÆ OCCIDENTALIS febre, pauca dicere.

LXXXV. Medici hâc febre ægrotis hydrargyrum præscripserunt, ut non solùm id ageret ut remitteret febris, sed etiam ut salivam movendo febrem prorsùs abigeret.

LXXXVI. Quo tempore, in INDIA OCCIDENTALI, militum ægris consulebam, hydrargyrus medicamentum, contra remittentem ibi febrem

febrem apprimè efficax, habebatur. Neque enimvero hoc mirum erat, quum, simul ut ore salivare incepisset æger, febris semper decesserit.

LXXXVII. Cæterorum medicorum exemplo inductus, et remittente INDIÆ OCCIDENTALIS febre ægrotis salivam hydrargyro moveri semper posse opinatus, aliquandiu credidi, hydrargyrum medicamentum esse, quo febris semper certò posset curari. Periculo autem compertus, hydrargyro salivam non semper citari posse, inductus sum, ut hoc medicamento multo minùs confiderem.

LXXXVIII. Sunt, qui hydrargyro incommodo objiciant, uti non semper ad spem salivam movet, ita, quod neùtiquam optandum, tantam nonnunquam citare, quanta ipsa morbus, isque gravis, sit et habeatur. Ingente enim salivæ fluxu æger non modò multum debilitatur, verùm, si febre evadit, tardissimè quoque convalescit. Hoc objicere parùm,
aut

aut saltem minùs, valeret, modò cōpertum haberent medici, hydrargyrum plùs, quām alia medicamenta, ad febrem, quam agitemus, discutiendam pollere.

LXXXIX. Qui parvi pendunt hydrargyrum, ab iis porrò dictum est, febientes, quibus salivam moverit hōc medicamentum, haud rārò tamen perire. Quin, post salivam hydrargyro citatam, febientes periverint, haud nego. Sed, quippe cùm perpauci tantùm sic vitâ decesserint, non videtur, quamobrèm eorum mors hydrargyro objicienda sit. Salivam enimvero, hydrargyro motam, semper existimavi salutem prænunciare.

xc. Non igitur hydrargyro idcirco objicio, quòd, post salivam eo excitatam, ægri non-nunquàm moriantur, sed quòd non certò salivam moveat. Eo enim, quantâcunque copiâ et quomodocunque dato, gravissimis febribus remittentibus laborantium saliva non semper potest moveri. Ut æstimetur igitur, an hydrargyrus

gyrus remittente febre ægrotis bonum medicamentum sit, quærendum est, non quot, post salivam eo motam, mortui sint, sed, utrùm ejus usu, an aliorum medicamentorum remediorumque, plures revaluerint. Quantùm medocuit experientia, plures illius usu revalescere, minimè opinor.

xci. Ità quoque, quantum scio, opinabantur plerique medicorum in INDIA OCCIDENTALI, quo tempore ibi antè commorabar, quam BRITANNIAM redivi. Tunc enim hydrargo multo minùs, quam anteà, credebant.

xcii. Nonnunquam, ubi febris, de qua scribimus, gravissima erat, neque aliis medicamentis et remediis quicquam levata est, ad hydrargyrum, tanquam ultimum remedium, decurrere haud insolitum erat. At rarissimè tamen, quòd novimus, ad spem respondebat.

xciii. Ne

xciii. Ne longum faciam; quantumcunque
CONTINUA INDIÆ OCCIDENTALIS FEBRE, quam,
confiteor, observatione parùm cognitam ha-
beo, laborantibus prosit hydrargyrus; melius
tamen compertus sum, cæteris medicamentis
et remediis, quæ suprà memoravi, id in *RE-
MITTENTE FEBRE* agere, ut de vi sua remit-
teret; et tùm tantùm ad hydrargyrum con-
fugere, cùm, ut interdum, in hepate sanguis
ultra modum cumulari videretur.

NOTÆ

N O T A E.

A.

(*Respic. pag. 3^m.*)

§ I. QUÆ causa in INDIA OCCIDENTALI indigenis levem remittentem intermittentem ve excitat, eadem advenis gravem remittentem. Mihi semel, quām alio modo alios homines afficerent ejusdem paludis exhalationes, observandi occasio oblata est.

ii. Sub finem anni, post CHRISTUM natum, millesimi septingentesimi nonagesimi octavi,
legio

legio in INDIA OCCIDENTALI conscripta, cuius GREGARII milites NIGRI hominum erant, PRIMORES autem ALBI, ex alia insula in SANCTAM LUCIAM trajecta, castra posuit ducenta et quinquaginta passuum à palude, quæ latè in adversum ab oriente ventum patebat.

III. Ut plerumquè est in INDIA OCCIDENTALI, hujus legionis milites, per duas hebdomadas, prosperâ valetudine fruebantur. Dibus verò sequentibus, triginta amplius milites remittentes febres et intermittentes adortæ sunt. ALBORUM PRIMORUM, regiis literis non constitutorum, plerique febribus correpti sunt, quæ tamen vi et gravitate inter se differebant.

IV. ALBORUM unus, juvenis, qui aucupandi cupiditate motus, quotidie palustria loca vicina peragrabat, ut aves, quibus abundabant, figendo nanciseretur, et sic plùs, quàm cæteri commilitonum, se ictibus fervidi solis et insalubribus exhalationibus exponebat, simulque

que fatigabat, in gravissimam remittentem febrem incidit; nigram dein materiam vomuit; demumque, flavo colore suffusus, mortuus est.

v. Alius, qui in INDIA OCCIDENTALI aliquantiù commoratus erat, at fœcundis *alcoholis saccharini* calicibus, quibus se dederat, multùm infirmatus, gravem quoque febrem nactus est. Hic infelix, etiamsi medicinâ febris de vi sua multùm remiserat, adeò erat ebriositate debilitatus, ut ne medicinæ quidem auxilio posset redditum arcere, demumque interivit flavo colore totam cutem perfusus.

vi. Cæterorum *ALBORUM* alii mitioribus remittentibus corripiebantur, alii intermittentibus.

vii. *HYBRIDAS* hominum, ex disoloribus parentibus, albo nempè et nigrâ, aut nigro et

et albâ natos *, febres vix leviores, quām quæ *ALBOS*, invaserunt, et plerumque cursu erant tardiores. Minūs tamen internas impetebant partes, et nunquām erant lethales.

VIII. *INDIGENAS INDIÆ OCCIDENTALIS NIGROS* † incursavit febris; quæ, uti gravior erat, ità majorem cordis et arteriarum renixum excitavit. At exinanitionibus tamen facilè curabatur.

IX. Ex *NIGRORUM* verò *AFRICANIS*, qui multo major legionis pars erant, ne unus quidem febre, sive remittente sive intermittente, correptus est. Undè *AFRORUM NIGRI* à remittente *INDIÆ OCCIDENTALIS* febre immunes sint, explanare non possum. Taline frumentuntur integritate, quòd ex patriâ adhuc calidiore *INDIAM OCCIDENTALEM* navibus invecti sunt?

X. Qui

* Vernaculo sermone *MULATTOES* dictos.

† Vernaculo sermone *CREOLES NEGROES*

x. Qui ex frigidiore cœlo in calidius migrârunt, ii, ut docet experientia, aptiores sunt, qui hîc febribus, hisque gravioribus, corripiantur, quàm qui eòdem ex adhuc calidiore. EUROPÆI enim, qui INDIAM OCCIDENTALEM advenerunt, febribus procliviùs corripiuntur, quàm indigenæ; et correpti graviùs laborant, sæpiùsque pereunt.—AFROS contrâ, in INDIAM OCCIDENTALEM transvectos, febres non adoriuntur: neque febris, quæ, aliquot abhinc annos, PHILADELPHIÆ tot hominum millia rapuit, invasit illuc profugos ex INDIA OCCIDENTALI.—Ubì in BRITANNIA continua febris profectos hùc ex calidiore cœlo incursat, plerumquè, ut observavit GREGORIUS, plùs minùsve eò inclinat, ut in remittentem abeat.

G

B.

B.

(Respic. pag. 10m.)

§ I. DIFFICULTAS gravissimam remitten-
tem INDIÆ OCCIDENTALIS febrem à continua
dignoscendi; et indefinitus intellectus, quem
inter auctores habet nomen, *FLAVA FEBRIS*;
satis explicant, undè ortum inter medicos
certamen sit, numne febres INDIÆ OCCIDEN-
TALIS tabo pestilente nascantur.

II. Non dubito, quin continuæ febres, tali
tabo ortæ, ibi interdum contagione vulgen-
tur. Verùm, meâ saltem opinione, hujus-
modi febres multo ibi rariores sunt, quàm fa-
mâ feruntur.

C.

C.

(*Respic. pag. II^m.*)

§ I. HÆC distinctio pro concessso assumit, continuas febres pestilentes esse; remittentes vero, et intermittentes, non.

II. Concedatur certè, has febres, dum formam sibi propriam retinent, nequaquam esse pestiferas; et fortassè ne tūm quidem, cùm, remissionibus et intermissionibus vel omnino non vel parùm evidētibus, formâ continuas simulant: nisi aliquis contendat, id sanè, quod me ipsum interdum inclinavit animus, ut arbitrarem, remittentes febres, et intermittentes, aliquandò se paulatim in continuas convertere et pestilentes.

F I N I S.

